

vsufructum, quem quidem semel iam acquisitum pater non amittet per professionem, sed ille pertinebit ad monasterium quandiu pater vixerit; & ita tenet Targia eodem cap. 17. numero 8. & debent sustinere omnes Doctores allegati numero precedenti, cum indistincte de vsufructu loquantur, nec sit specialis ratio de hoc.

72 Hinc deducitur primò, patre obtinente maioratum, in quem non potest succedere monasterium (qualis est, qui iurisdictionem annexam habet, vt Comitatus, Marchionatus, Ducatus; vel à quo ab institutore excluditur monachus, vt inferius dicemus) vbi primùm pater professus fuerit in religione, non posse monasterium potiri fructibus illius maioratus, sed omnes illos vnà cum maioratu pertinere statim ad sequentem vocatum, quia in patre nullus erat vsufructus formalis, sed solus casualis concomitans proprietatem; id est, nullus erat productus vsufructus separatus à dominio proprietatis, qui dicitur formalis, sed erat solus vsufructus productus à dominio proprietatis, existens in ipso patre proprietatis domino, qui est indiuiduus proprietatis comes, & dicitur casualis. Cum ergo per professionem cesset proprietatis maioratus, cessabit quoque vsufructus ille casualis ipsam concomitans. E contra autem si filius in illum maioratum successerat, & consequenter pater illius vsufructum comparat, non amittetur per subsequendam patris professionem, sed retinebit illum vsufructum monasterium quandiu pater vixerit, quia vsufructus ille formalis semel productus in patre à proprietate maioratus perseverante in filio, non perditur patris professione, sed transit ad monasterium, iuxta dicta numero precedenti, quamuis iurisdictionis administratio transfere nequeat, sed maneat in filio. Si tamen filius ille proficeretur in religione, ac subinde maioratus ille transfret ad sequentem vocatum, perinde ac morte ipsius transfret, constat vsufructum paternum extinguui, sicut maioratus filij extinguitur, quia in eo euentu vocatus est ab institutore sequens successor, vt plenè quoad omnia in maioratum succedat. At si maioratus talis esset, qui professione religionis non amitteretur, sed maneret apud monasterium, retineret adhuc pater vsufructum, dum superstes fuerit, sicut retinet in cetera filiofamilias professi aduentitia, & mortuo patre pertinebit ille vsufructus ad monasterium, dum vixerit monachus.

73 Secundò deducitur, dimidiam vsufructus partem, quam pater secularis emancipans filium comparat in emancipationis premium, iuxta l. cum oportet. §. penultimo. C. de bon. que liber. non amitti per professionem patris postea subsequendam, sed pertinere ad monasterium, quia eadem est ratio de hac vsufructus parte, ac de toto vsufructu. Et ita docet Iason audentie, ingressi numero 48. C. de sacrosanctis Ecclesiis, & idem docere debent omnes Doctores allegati numero 70. Nec quos Iason in contrarium allegat, dicunt contrarium, sed solum tractant de veritate secundæ sententiæ allegatæ numero 69. nempe, an pater proficiens amittat dimidiam vsufructus partem, sicut amitteret per emancipationem, an potius totum vsufructum retineat.

74 Hæc tamen sententia principalis tradita numero 70 vt vsufructus paternus in aduentitius filij transeat ad monasterium, limitanda est primò, vt retentâ ratione dicente, legitimam statim, ac pater proficit, tradendam filio, quam amplexi sumus supra, eligitur de aliis bonis præter filij legitimam: nam iuxta Doctores id dicentes, dicendum est necessè, eam cum vsufructu illi tradendam; aliàs illi esse inutilis, si legitimis possit deseruire, qui finis eius est. Sed secus est dicendum, iu-

tiam dicentem nec legitimam tunc tradendam. Atque ita docet Menchaca de success. progressi. libro 1. §. 1. numero 48.

Secundò temperatur, vt is vsufructus in aduentitiis filij, & maioratu duret quandiu pater vixerit, nisi in hoc Castellæ regno interim filiofamilias ad matrimonium transeat, & recipiat Ecclesiæ benedictiones. Nam sicut in hoc regno pater existens in seculo, statim amitteret totum vsufructum, & ad filium pertineret, iuxta legem regiam Tauri 48. quæ hodie est lex 9. tit. 1. lib. 5. recopilationis, ita eo professo monasterium illum amittet, vt porro quod non maius ius, quàm pater comparat. Et ita docet Molina romo 1. de iustitia. dissertatione 9. ad finem, & dissertatione 140. columna 4. vers. an verò vsufructus. Et hoc est certum.

Tertiò temperatur, vt procedat in bonis aduentitiis à filiofamilias acquisitis ante professionem paternam; quia cum à professionis paternæ tempore filius non sit sub patris potestate, non acquirit pater vsufructum in bona post illam à filio acquisita, & consequenter nec monasterium. Sic Molina ea dissertatione 9. ad finem, & ea dissertatione 140. columna 5. vers. hoc tamen fundamentum.

Vltimò intellige, dummodo, si monasterium, aut 77 pater ex bona filij non administrat, perfoluat pretium administrationi necessarium: quippe cum hoc onere is vsufructus ad patrem pertinebat.

Tandem dabitur de lucro delato filijs prioris matrimonij ob transitum paternis ad secundas nuptias, qui quidem acquiritur proprietatem bonorum, quæ patris ille habuit ex bonis coniugis defuncti, & totus vsufructus referatur parenti illi dum viuuit, vt latè explicui libro 7. de matrimonio. tota dissertatione 89. Dum ergo est, an patre, aut filio transeuntibus ad religionem, amittatur hic vsufructus, aut hæc proprietas. Et quidem dicendum est, filio transeunte ad religionem, monasterium succedendi capax solam proprietatem illius lucræ acquirere, qualem filius ille habebat, vsufructu manente apud patrem dum viuuit: sicut idem contingeret filio manente in seculo. Sic allegatis Ruino, Boerio, & Bellon. tradit Caualecanus decisione 2. numero 53. parte 3. Quod si filius ille prius obeat, quàm patris ille, qui ad secundas nuptias transit, proprietas illa consolidatur cum vsufructu illo parentis, illaque priuabitur monasterium. Quia quamuis esset illi acquisita, id non erat omnino perfectè, sed reuocabiliter, si filius ille ante parentem decederet; & eo sic decedente proprietas illa non pertinet ad alios fratres, nec ad filij illius hæredes, & consequenter nec ad monasterium, sed ad patrem, qui vsufructum habebat, vt probaui libro 7. de matrimonio. dissertatione 89. numero 21. & tenet in propriis terminis Caualecan. alios referens eadem decis. 1. à numero 57. vsque ad 62. refertque sic lite mota fuisse quinque indicatum contra monasterium. Similiter è contra parente proficiente in monasterio capax, relinquitur monasterium eum vsufructum dum patris ille viuuit: quod si filius præmoriatur, pertinebit quoque proprietas ad monasterium; sicut pertineret ad patrem inuentem in seculo: quia huiusmodi monasterium succedendi in omnia iura profecti. Quod si monasterium sit in succedendi, si filius sit is profectus, consolidabitur p-

ter vsufructu paterno à die professionis: & pater, qui proficeretur, vsufructus pertinebit à tempore professionis ad filium proprietarium, quia hæc contingeret morte naturali parentis, & filij. At illa professio reputatur ac mors naturalis.

Qualiter transeat ad monasterium ius patronatus, ius nominandi ad emphyteosim, petendæ renouationis eiusdem, ius retractus ratione sanguinis competentia in seculo religioso.

SVMMARIVM.

Ius presentandi, aut eligendi competens monacho, vt parti alicuius collegij, an transeat ipso professo ad monasterium? num. 1.

Quid si pertineret iure singulari? n. 2.

An primogenitum patrono proficiente transeat ius patronatus ad secundogenitum, & quid quando erat personale? numero 3.

An monacho construente, aut dotante Ecclesiam, ius patronatus transeat ad monasterium? n. 4.

Quid si religio sit succedendi incapax, aut sit Societatis IESV? num. 5.

An id ius patronatus extinguatur persona monachi, & eo translato ad aliud monasterium, transeat cum illo? numero 6.

An sit solus Abbatis absque consensu conventus presentandi? num. 7.

An sit valida presentatio facta à solo Prelato? n. 8.

An ius instituendi competens Episcopo, aut alij Prelato, transeat in monasterium cum illo iure patronatus? n. 9.

An si monachus cuius erat ius patronatus presentaret virtute illius, valeat presentatio? n. 10.

Quid si presentaret, aut eligeret absque superioris licentia, ex potestate sibi à patrono, aut electoribus tradita, an valeat? Referitur quedam sententia. n. 11.

Sententia auctoribus. n. 12.

An exigatur licentia quando electores, aut patroni concordant, vt is presentetur, aut eligatur, quem monachus elegerit? num. 13.

An ius nominandi ad emphyteosim pertinens ante ingressum religionis perseveret in nouitio, aut in eo, qui emisit vota biennij in Societate IESV? n. 14.

Quid de professis in ordine Minorum, an illis competat id ius ac renouanda nominationis facta? Referitur quadam sententia. n. 15.

Explicatur sententia auctoritatis, & quid de professis, & formati coadiutoribus in Societate IESV? n. 16.

An hoc ius nominandi transeat ad monasterium succedendi capax, & translato monacho ad aliud monasterium, transeat cum illo, & eo mortuo pereat? n. 17.

An officium publicum, vt tabellionis, &c. quod indiget renouatione intra certum tempus facta ante mortem ne perdat, amittatur ea renouatione non facta ante id tempus transfatum, à tempore illius vsque ad professionem in ordine Minorum, sed transeat vsque ad mortem naturalem? num. 18.

Quid si non renouauerit ante professionem, an possit post illam? num. 19. 20. & 21.

Quid si esset nouitius, aut ligatus votis biennij in Societate IESV? n. 22.

Quo do possit renouatio emphyteosis peti. num. 23.

An possit professus eam petere, aut monasterium eius nomine? num. 24.

An retractus ratione sanguinis competat profecti in ordine succedendi incapax, aut monasterio eius nomine? numero 25.

Quid quando est capax succedendi? n. 26. & 27.

An monasterio vendente rem illam monachis ad vitam, competat proximiorum sanguine ius retractus? numero 28.

An hoc retractus ius competat religioso, qui sola biennij vota emisere in Societate IESV? n. 29.

Quid de nouitiis? n. 30.

Quatuor difficultates, eaque breues inuoluit præsens questio, quæ suo ordine enodandæ sunt. Prima difficultas est de iure patronatus, seu presentandi, quod in seculo competebat monacho, an eo professo transeat ad monasterium? Et quidem si illud presentandi ius, aut eligendi competeat monacho iure collegij, aut communitatis alicuius, non transit ad monasterium, sed eo professo deperditur, quia desinit esse pars illius communitatis. Et sic docent Glossa cap. beneficium. verb. conferendum. in additione de regular. in 6. & ibi Ioannes Andre. Dominicus numero 6. ad finem. Francus numero 3.

Si autem pertineat iure singulari, tunc transit in monasterium, quippe id succedit in omnia monachi iura. Atque ita docent Glossa, Ioan. Andr. Dominicus. & Francus allegati n. præcedenti, Lambertin. de iure patronatus. lib. 2. p. 1. q. 2. art. 1. n. 1. vbi Flor. de Mena Addit. ad Gamam. decis. 6. num. 2. conf. 6. & lib. 2. variarium. q. 16. §. 2. n. 5. Manuel quest. regular. tom. 2. q. 12. art. 2. Et ideo iure optimo dixerunt Imola l. cum pater. 7. 9. l. hereditatem. al. 1. n. 5. ff. de legat. 2. & ibi Baldus num. unico. Salyoetus l. 1. n. 6. C. de hered. instit. ius eligendi non amitti per inuulgum religionis.

Quare non approbo quod tradunt Bellamera conf. 53. Tiraquel. de iure primog. q. 3. n. 11. vbi tradunt ius patronatus pertinens ad primogenitum ex fundatoris dispositione, transire ad secundogenitum, primogenito professo in religione. Et ita iure optimo contrarium tenet Manuel allegatus num. præcedenti, & constat ex omnibus Doctoribus ibi allegatis. Quare horum doctrina, vt vera sit, est intelligenda de monasterio incapaci succedendi, iuxta ea, quæ dicemus num. 5. vel quando ius patronatus esset annexum maioratu illius primogeniti, & maioratus esset eius nature, vt vel ex fundatoris voluntate, vel alia ratione non tranfret in monasterium per primogeniti professionem: tunc enim velut annexum maioratu transfret cum maioratu in sequentem successorem. Vel tertio, quando ex fundatione ius patronatus esset ita personale, vt apertè constaret ex institutoris voluntate, vt nullo modo transfret ad monasteria.

Et similiter si monachus ædificaret, vel dotaret Ecclesiam ex legitima licentia, ius patronatus non ipsi, sed monasterio acquireretur, cuius sunt omnia, quæ monachus acquirat. Sic Lambertin. de iure patronatus. lib. 1. p. 1. q. 8. art. 9. n. 7.

Intellige autem quando religio est capax succedendi: quando enim est incapax, cum in nulla monachi bona succedat, non succedit quoque in ius patronatus quod in seculo habebat, sed id transit ad sequentem successorem. Et ita bene Manuel quest. regul. como 2. q. 12. art. 2. dixit, ius patronatus transfere ad monasterium succedendi capax. Similiter per simplicia coadiutorum formatorum vota in Societate IESV transfret ius patronatus ad sequentem successorem, non autem per simplicia biennij vota, sed ius presentandi maneret in ipso religioso, sicut de iure nominandi ad emphyteosim dicemus num. 14.

Atque id ius patronatus si sit personæ profecti annexum, & ratione illius transeat ad monasterium, extinguetur morte illius profecti; atque eo translato legitime in aliud monasterium, videtur transfere quoque id ius cum illo tanquam annexum personæ, & ratione illius competens monasterio; & si transfret ad monasterium succedendi incapax, professione in eo extingui, si cui vsimus de vsufructu cap. præcedenti. num. 63. At id n. credo, sed mansurum in priori monasterio id ius, quia tibi perfectè acquisitum: nec est sicut vsufructus, cui quotidie producit, & est personalissimus. Quare mors illa ciuilibus per professionem sequentem posteri monasterio incapaci, non operatur, quod daretur iuris illius priori monasterio acquirere maneret extan-

quæ diximus supra. Si autem esset annexum bonis professi, in quæ succedit monasterium, ut villa, aut cetera, res esset absque dubio. Quia sicut bonorum illorum possessio esset perpetua apud monasterium, ita ius patronatus illi annexum: quare eo professo translatum ad quodcumque aliud monasterium, vel mortuo, ius patronatus perpetuum maneret in priori monasterio, si cetera & illa bona, quibus est annexum, nisi illa bona essent maioratus: tunc enim morte, vel professione in monasterio incapaci transiret cum maiori in sequentem successorem. Atque ideo bene dixit Manuel *quest. regul. lomo 2. quest. 122. artic. 2.* non expirate morte profelli ius patronatus annexum bonis; secus de annexo persona.

7. Equities ius patronatus transit in monasterium, nequit solus Abbas presentare, nisi hoc habeat ex præscripta consuetudine, vel privilegio, sed id est totius conventus, cuius maior pars consentire debet, ut presentatio legitima sit: ut constat ex *cap. nouis. & cap. quatuordecim. & clarus cap. ea noscitur de his. que sunt à Prælato.* Et probat Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. part. 1. quest. 2. artic. 1. & 2. & 3.* Quod si opponatur *cap. ex literis. de iure patronatus.* ubi Abbatissa presentavit; respondet bene Lambertin. *eodem num. 3.* ea esse verba narrantia, quæ dispositionem non inducunt, vel melius non constare ex eo textu solum Abbatissam presentasse, sed præsumi id factum legitime, nempe cum maioris partis conventus consensu.

8. Quod si presentatio fieret à solo Prælato absque maioris partis conventus consensu, quamvis inter Doctores disceptetur, verum presentatio sit ipso iure nulla, an per solum sententiam irritanda. Nam Hostiensis *eo cap. ea noscitur num. 2. verb. vacuari.* & ibi Cardinal. *num. 2. apposte. 4.* dicunt exigi sententiam, quod is textus non vtratur verbo irritandi, sed solis verbis; *constitutiones huiusmodi conveniunt evacuari.* At verius est, esse ipso iure irritam, & sic ea verba, *conveniunt evacuari*, explicanda sunt, conveniunt vacuari pronuntiant, ut constat ex *cap. nouis. de his. que sunt à Prælato.* ubi loquens textus de institutionibus ab Episcopo factis absque sui Capituli consensu, sic ait; *Nos tales constitutiones cavere decernimus robore firmitatis.* ubi Glossa finalis explicat esse ipso iure irritas. Et ideo hanc partem sustinet Goffred. quem refert, & sequitur Lambertin. *de iure patronatus lib. 2. part. 1. q. 2. art. 1. & 2. m. 6. vers. hoc sic suavit.*

9. Quamvis autem ius patronatus transeat ad monasterium, & consequenter ius presentandi; at ius instituendi erit Episcopi. Constat ex *cap. scilicet. de iure patronat.* ubi decernitur, iure patronatus Ecclesie parochialis translatum in monasterium, ius parochialis Episcopi in illam Ecclesiam nullatenus minui; ubi Glossa finalis eam rationem reddit, quod non plus iuris monasterio competere valeat, quam habebant illi, à quibus ius patronatus est acquisitum monasterio. At illi solum presentandi ius habebant, relicto integro iure instituendi Episcopo competenti. Et ita sustinet aliis allegatis Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. part. 3. quest. 1. art. 16. num. 2. m. 6.* qui bene infert idem dicendum esse, si ius instituendi spectaret ad infirmorem Prælaturam: quippe ea translatio iuris patronatus in monasterium, minime illi iuri præiudicaret, quia eadem militat ratio.

10. Tandem difficultas est, an si monachus ille, ex cuius persona ius patronatus est translatum in monasterium, presentaret, valeat presentatio: Et quidem si presentatio fiat ratione iuris patronatus monacho competentis, manifestum est presentationem non valere, illud iam non sit suum, sed translatum in monasterium. Et ita docent Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. part. 1. art. 11. num. 2. m. 6.* Quod quidem intelligendum nisi ius patronatus expressam conditionem asseruerit, tunc enim ius presentandi con-

monacho ex sui Prælati licentia. Quod si institutor hæc quoque licentiam excluderet, volens integrum esse monacho contra voluntatem Prælati presentare, reitingeretur conditio tanquam impossibilis. Et vtrumque bene probat Manuel *quest. regular. lomo 2. questione 122. artic. 2.*

Sed difficultas est, quando presentatio, aut electio non competit monacho ratione iuris patronatus, sed quod constitutus sit à vero patrono, aut veris electoribus procurator ad presentandum, aut eligendum, an presentatio, aut electio facta tunc à monacho absque Prælati licentia valeant? Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. part. 1. quest. 4. art. 7. num. 1.* refert Federicum *conf. 104.* dicentem ea non tenere. Et idem tenet, quamvis dubius, & cogitandum relinquens idem Lambertinus *eo art. 7. fin.* Ducitur ex *cap. si religiosus in fin. principij. de elect. in 6.* ubi expressè dicitur, electionem religiosi constitutis absque sui Prælati licentia, esse ipso iure irritam: ergo à fortiori non acquirit validè eligere. Sed idem Lambertin. *eodem part. 1. quest. 2. art. 1. & 2. num. 1. & 2. vsque ad 9.* refert fundamenta Pauli de Eleazar pro vtraque parte, concludentisque ea fore valida, quia cum tunc non faciat religiosus nomine suo, sed eius, qui commisit, non consideratur persona eligentis exequentis, sed persona committentis. Quippe dicitur facere, cuius auctoritate, & nomine res fit. *lita tamen. S. gessisse. ff. de administr. tutor.* Sed ipse Lambertin. *ibi. num. 2. m. 6.* refert se ad priorem locum proximè citatum: ubi, ut diximus, sub dubio tenuit priorem sententiam.

Verum in hac controverfia plus mihi placet hæc posterior sententia, ut actus illi valeant, tum ob rationem dictam; tum etiam quia nullo iure irritantur ea à monacho facta. Nec bene ducitur argumentum ab electione passiva, quæ irrita esset absque superioris licentia, eo quod monachus est incapax iuris alicuius proprii acquirit, ad electionem hanc activam, per quam nihil proprii acquirit. Ducor etiam rationibus, & Doctoribus, quibus supra probavi executionem testamenti factam à quocumque monacho absque superioris licentia esse validam. Quod est intelligendum cum duplici limitatione, quam ci doctrinæ ibi apposui.

Tandem concludit Lambertinus *eo art. 11. num. 2. m. 6.* quamvis religiosus nequit ex illa potestate sibi tradita eligere, aut presentare absque superioris licentia, posse tamen eum id facere absque licentia, quando patroni, aut electores ipsi concordarent, ut is presentaretur, aut eligeretur, quem religiosus elegerit. Sicut frater Franciscanus, qui testamentum exequor esse nequit, potest eligere pauperes, in quos elemosina distribuatur. Sed si intelligat posse validè, placet vtrique: si autem intelligat posse licitè, non credo. Quia satis dubia est sui fundamenti veritas, & licet illud admittamus, ut admissum cum probabiliori sententia supra præ ibi probavimus exigi superioris licentiam, ut id licitè fiat.

Secunda difficultas est, an integrum sit religioso nominare ad emphyteosim, quam ante professionem habebat: Et quidem si ille sit novitius, aut sola biennij votum in Societate emisit, certum est, illi integrè esse, nominare ad emphyteosim, quod hic incapax non videtur habendi. Et ita est esse certum Molina *tom. 1. disp. 482. in i.*

Difficultas est de professis in quacumque religione, & coadiutoribus formatis Societatis Iesv, qui dominij habendi incapaces sunt. Cald. *de nominat. emphyteot. quest. 6. num. 3. & 4.* sustinet, posse professum etiam ordinis Minorum nominare ad emphyteosim. Ducitur, quod sit quid in solo facto consistens. At rerum huiusmodi esse professus ordinis Minorum capax, iuxta sententiam illorum, quos supra retulimus, qui aliter licet his professis etiam ordinis Minorum eligere pauperes, quos testator eligendos ipsi commisit, ut inter

ut inter eos elemosinæ distribuerentur. Immo & sustinendo opinionem dicentem hanc pauperum nominationem ipsi esse interdicitam, ait dicendum, esse licitam hanc nominationem ad emphyteosim, quia illa censetur interdicitæ ob avaritiam suspensionem, & ad amputandam querendorum temporalium anam. At per hanc nominationem potius abdicat à se religiosus bona temporalia, quàm acquirat. Et idem Caldas *eodem quest. 6. num. 5.* ait professum in ordine succedendi capax, qui ante professionem nominat reuocabiliter, posse post professionem reuocare, & iterum nominare aliud, vel ipsum monasterium, ut tempore vitæ ipsius monachi fruatur. Secus autè si sit professus in ordine incapaci succedendi: quia cum ea professio æquiparetur morti naturali, censetur ea confirmari irrevocabiliter prior nominatione.

16. Sed iure optimo hanc sententiam improbat Molina *tom. 2. de inst. disp. 482. col. penult. vers. virum autem religiosum*, dicens, nullum cuiuscumque religionis professum, aut coadiutorem formatum Societatis Iesv posse nominare ad emphyteosim, nec nominatione antea factam reuocare, quod verè sit dispositio de re, ac iure suo. At nullum bonorum temporalium ius remanet religioso post professionem. Quod maxime verè est sustentando nostram sententiam, quam probavimus hoc lib. *suprà*, dicentem nulli professo integrum esse reuocare testamentum prius factum.

17. Ex his deducitur, hoc ius nominandi transire ad monasterium succedendi capax, nisi ex coniecturis eliceretur electam personam industriam, seu alia ratione fuisse id ius nominandi personalem. At quando monasterium est incapax, non transit, sicut nec bona alia, quia omnia monachi iura, quæ sunt huiusmodi, transeunt in monasterium succedendi capax: sicut etiam diximus in illud transire ius presentandi, quod non est merè personale; & sicut diximus num. 6. ius presentandi finiri morte illius monachi, & translatum eo legitime ad monasterium succedendi capax, non transire cum illo, nec finiri eo professo in monasterio incapaci: ita dicendum est de hoc nominationis iure, quippe vtrumque competit ratione personæ monachi, & illi est annexum.

18. Secundò deducitur resolutio huius questionis, an habens officium publicum, ut tabellionatus, senatoris, id est, *veymiquaro*, &c. quod renunciatione indiget, ut in alium transferatur, nec ante professionem renuncietur, possit postea renunciare, aut monasterium eius nominare; an potius defectu renunciationis amittatur id officium, & acquiratur Regi? Et quidem, si ante professionem etiam in ordine Minorum renunciauit, existimo officium non amitti defectu renunciationis, etiamsi à tempore renunciationis vsque ad professionem non transacti sint dies iure petiti, quibus vivere debeat renuncians, ut renunciatio vim habeat. Quia etsi hæc professio comparetur morti naturali quoad alios successiois effectus, non tamen quoad hunc, sed versus dies illi petiti sunt vitæ naturalis, ut experientia ipsa testatur: & cum res sit odiosa, & tendat ad officium propriis pecuniis em, effectumque iam proprium patrimonium, non est extendenda.

19. S. autem non renunciauit ante professionem, constat integrum non esse ei post professionem renunciare alicuius favore, ut is succedat in id officium sibi quod illud acquirat, ad quod antea non habebat ius. Quia illud est conferre ei officium illud, quod facere nequit religiosus.

20. Sed difficultas est, quando renunciatio eò solum tendit, ne perdatur officium, sed acquiratur ei, qui præmissa renunciatio erat legitime successurus, eo quod est hæres, vel si nullus sit institutus hæres, ut vendatur, & pretium acquiratur monasterio succedendi capax, aut si sit incapax, hæredibus ob intestato. Et vi-

detur ea renunciatio permessa, etiamsi professus sit in monasterio incapaci succedendi, quia in ea officia succeditur, sicut in alia illius monachi bona, & debet eorum pretium inter hæres diuidi, & possunt vendi. Quare hæres habent ius ad illa; & renunciatio solum requiritur tanquam conditio sine qua nequeunt acquiri, & ut tollatur obstaculum, ne acquirantur Regi. Quare videtur quid merè facti, sicut de nominatione ad emphyteosim dixit Caldas allegatus num. 1. Et ideo sicut dixit quemcumque professum esse huius nominationis capacem, existimo dicturum de hac renunciatione.

At existimo, nullius religionis professum, nec coadiutorem formatum Societatis Iesv posse hanc renunciationem facere, nec religionem succedendi capacem nomine illius: atque adeò defectu renunciationis amitti officium; sicut diximus num. 16. non posse nominare ad emphyteosim; quia illud renuncianti ius est personalissimum, & inherens personæ habenti ius ad illud. At omne ius, omnèque proprium amitti religiosus per professionem; & cum nequeat in alium, neque in religionem transferri, nisi media renunciatione, qua deficiente perditur, & redit ad Regem, perdetur vtrique, & erit Regis.

Si autem esset novitius, aut solis biennij votis affectus in Societate Iesv, possit hanc renunciationem facere, sicut & num. 14. diximus, posse eum nominare ad emphyteosim.

Tertia difficultas est, an quando habens rem in emphyteosim profiteretur in monasterio capaci succedendi, possit ipse, aut monasterium ex ipsius persona renunciationem emphyteosis in eo monacho finitæ petere? Ve difficultatis huius punctus percipiatur, oportet supponere, tripliciter posse emphyteosim finiri. Primò finitur propter commissum, aut culpam emphyteote, ut quod malè versatus sit in re emphyteotica, vel illà irrequisito domino alienauerit, vel cessarit in canonis solutione per tempus lege præstitutum; & tunc renouatio nullatenus debetur, quippe tunc emphyteosis est omnino extincta, & ille iure suo omnino desitutus est. Secundò finitur caducitate, ut quando concessa est alicui pro se, & filiis, vel descendens. Atque tunc finit illis, cessat prorsus nulla renouatio debita. Tertio finitur quando concessa est pro generatione limitata, ut vsque ad tertiam generationem, & ea finita est. Atque tunc si supersunt filij, aut alij descendentes possessoris ultimi, possunt renouationem emphyteosis petere, & cogere dominum directum, ut in eorum persona emphyteosim confirmet, aut renouet vsque in tertiam generationem. Atque hæc docet Caldas *de renouatione emphyteot. quest. 8. num. 1. & 2.* ac multos Doctores allegat dicens esse receptam omnium scribentium sententiam: quamvis Molina *tom. 2. de inst. disp. 484. col. 7. à vers. claretum arbitror, & que in finem*, late probare conetur hanc sententiam esse falsam.

Verum supposita huius sententiæ veritate, est locus præsentis difficultati: & breuiter dico cum Cald. *de renouatione emphyteot. quest. 1. 9. à num. 7. vsque ad 14.* latissime probante id nec monacho, nec monasterio ex eius persona integrum esse, nec dominum directum ad id compellendum. Quia sicut ius retractus, quod proximiori consanguineo ex statuto defertur, nec monacho, nec monasterio competit, ut dicemus num. 26. ita nec hoc renouationis implorandæ ius, quod proximiori agnato defertur. Cessat enim ratio renouationis petendæ, ut de retractu ratione sanguinis explicabimus eodem um. & sequenti. Quare minus bene afferit, & nullatenus probat, sed sola Anchar. falsò allegati auctoritate, Tapia *authentic. ingressi. vob. sua. cap. 15. num. 4. C. de san. sancl. Eccles.* posse monasterium hanc renouationem petere.

Vltimè difficultas est, an retractus ratione competeret monacho professo, ut si statuto maneret extan

immobitem ad vitam, siue patrimonialem venditam, possit proximior confanguineus eodem pretio tradito venditori retrahere, quale est apud Hispanos l. 13. reg. tit. 10. lib. 3. f. 1. & l. 7. Tauri, hodie l. 7. tit. 1. lib. 5. no. recopila. Et quidem quando ordo non est succedendi capax, constat hoc ius nec monacho, nec monasterio eius nomine competere. Et ita tanquam manifestum tenet allegatis Guillelmo Benedicto, & Cassaneo, Tiraquell. de retrah. ligner. §. 1. gloss. 8. n. 19.

15 At quando monasterium est succedendi capax, videtur posse retrahere. Quippe monachus conferat iura agnationis, & sanguinis, & fuitatis. l. final. C. de Episcopis, & clericis. Ceterum dicendum est, non posse retrahere, quod cessat ratio retractus, nempe, ne res illa à proprio sanguine, seu genere alienetur: cum monachus non sibi, sed monasterio acquirat. Atque ita docent Guillelmo Benedictus, & Cassaneus, quos referunt, & sequuntur Tiraquellus eadem gloss. 8. n. 19. fin. Cifuentes l. 7. Tauri. quest. 15. & ibi Anton. Gomez num. 9. Cald. de renouat. emphy. quest. 19. numero 8. Azcubedo lib. 5. recopila. tit. 11. l. 7. num. 26. & ibi Matienzo gloss. 2. num. 20.

17 Hinc fit, nec monasterium posse ex persona monachi retrahere, quia in eo quoque cessat ratio retractus, cum monasterium non sit de genere, & familia venditoris: immo nec illa res per monasterium retracta sit amplius in familiam reditura. Sic tradunt Tiraquellus num. 20. Cifuent. Anton. Gomez, Azcubedo, Matienzo, Cald. allegati n. precedenti, Aluaradus de conuicturata mente restat. lib. 2. c. 5. initio. num. 4. Spino specul. testam. gloss. 12. principali. num. 26.

18 Nec monasterio vendente rem ad vitam professi, admittitur proximior confanguineus ad retractum, quod cum res illa deserit esse monachi, translatique sit in monasterium, iam è familia, & sanguine exierit. Et ita docent Cifuent. ea l. 7. o. questione 16. & ibi Anton. Gomez numero 10. Peralt. l. cum patronus. numero 37. ff. de legat. 2. dicens sic consultum, & lite agitata tribus sententiis decim, Azcubedo eadem l. 7. numero 29. Matienzo eadem gloss. 2. numero 22. Spino eadem gloss. 12. num. 25. fin. Villadiego iunior in foro iur. go. lib. 4. tit. 2. l. 12. fine.

19 Idem existimo de religiosis Societatis IESV, non de solis professis, aut coadiutoribus formatis, quos tanquam incapaces omnino dominij, est manifestum non posse retrahere, iuxta dicta num. 16. sed de iis, qui sola biennij vota emisere; quia nequeunt sibi acquirere ad retinendum: & ideo in eis quoque cessat ratio retractus, ne res de familia exeat.

20 De nouitiis autem re late disputata, & multis rationibus in contrarium allegatis optimè concludit Tiraquell. ea gloss. 8. n. 39. integrum illis esse retrahere, quod non sint veri religiosi, & possint sibi acquirere; cum tamen sint in via, vt sint veri religiosi, dicit optimè Tiraquell. retractum esse in pendentis, & eum omni firmitate munendum, si nouitiis redeat ad seculum, dissoluentium autem eo proficiente, quia acquireretur illa res monasterio per professionem contractatam mentem. Atque ita bene ait, cautionem esse emptori præstandam de re illa sibi reddenda, si nouitium profiteri contigerit, vt in simili dicitur l. cum socij. ff. commun. diuisan.

CAPVT XV.

Qualiter ad monasterium transeat manus, feudum, emphyteusis, res cum pacto nunciandi tradita, profitentium.

SVMMARIVM.

res dispa. sanda sim. 7. 1.

An nouitiis retineat qualemcumque maioratum in seculo professum, & in qualemcumque succedat, etiam si clausula sit excludens religiosis? n. 2.

Quid de religiosis, qui in Societate IESV vom biennij emisere? num. 3.

An si in maioratu sit clausula excludens religiosis, censentur hi quoque exclusi? n. 4.

An succedant commendatores, quamuis sit prædicta clausula? num. 5.

An succedant alij religiosi, aut monasterium, quando est clausula excludens monachos, & an sit licita ea clausula, & que excludit clericos? n. 6.

An censentur apposita hæc clausula, quando maioratus non scriptura, sed immemoriali prescriptione constat? numero 7.

Quando professio est in monasterio incapaci succedendi, nec succedit professus, nec monasterium in maioratum; & quid de coadiutoribus formatis Societatis IESV? n. 8.

An statim à die professionis succedat sequens vocatus? referunt quædam sententia. n. 9.

Sententia auctoris. Et quid dum aliqui emittit professionem, aut vota coadiutorum in Societate IESV? numero 10.

An si maioratus annexam iurisdictionem habeat, succedat in illum monasterium capax succedendi nomine professi? referunt quædam sententia. n. 11.

Sententia auctoris. n. 11.

Quid si in maioratus initio non habebat iurisdictionem, & post habebat? n. 13.

An possit maioratus habens iurisdictionem institutor vocare monachos ad eius successionem? n. 14.

An semper in eiusmodi maioratus non succedat monachi? numero 15.

An in maioratum carentem iurisdictione succedant? numero 16.

An quoties maioratus non transe in monasterium, sed professione amittitur, reputetur proximior ad succedendum, qui proximior est monacho tempore professionis, an qui tempore mortis? & an tunc preferatur filius legitimus illius monachi patris secundogenito? & viro horum temporum consideretur proximioris, quando monasterium succedit in maioratum? n. 17.

An succedat monasterium in maioratu institutum ad conseruandam agnationem, & familiam? referunt quædam sententia. n. 18.

Explicatur sententia auctoris. Et an stante statuto excludente feminas propter masculos à maioratu, succedat monasterium loco professi exclusi feminis? n. 19.

Hoc intelligendum est, quando maioratus est talis, à quo potest excludi religiosus. n. 20.

An in fideicommissum familia, & agnationi relictum succedat religiosus? n. 21.

An succedat in maioratum petentem deseri nomen, & arma? referunt quædam sententia. n. 22.

Sententia auctoris. n. 23.

An monasterium succedat in maioratum, à quo excluduntur feminæ? n. 24.

An succedat monachus in maioratu Hispanos? n. 25.

An sit conuictura excludens monachi, quando Titius maioratum habebat tunc filium monachum, & Titius filias, aut alios confanguineos? n. 26.

An monasterium in maioratu successione preferatur filio? n. 27.

rum succedat in maioratum, quando professus restatus fuerat ante professionem? n. 28.

Et quando successit monasterium, an transeat ad posterius, eo professo legitime ad id translati? & si sit ordo Minorum posterius monasterium, cesset omnino professione illius, & recuperet eum maioratum priori monasterio acquisitum, si postea fiat capax? & an possessor maioratus sit dominus bonorum maioratus, aut tantum ususfructus? & eo mortuo ad quem pertineat fructus? n. 28.

An

An monasterium succedat in maioratum, quando professus antea generalem renunciationem hereditatis, aut bonorum, aut cuiuscumque iuris fecerat? n. 29.

An quando monasterium nequit succedere in maioratum expressè, aut tacite institutoris voluntate, si ante professionem legitime successerat, excludatur à die professionis? proponitur ratio dubitandi. n. 30.

Explicatur sententia auctoris; & an casus superueniens tollat iam acquisitum, & cessante causa, cesset effectus iam consummatius? n. 31.

1 QVADRUPLEX questio inuoluitur disputanda. Prima de maioratu. Secunda de feudo. Tertia de emphyteosif. Vltima de re tradita cum pacto alienandi.

2 QVÆSTIO prima. An monasterium succedat in maioratum profelli? Qua in re præmittemus quæ apud auctores certiora sunt, deinde ad dubia disputanda progressum faciemus. Et quidem quando religiosus est nouitiis, certum est illum succedere in qualemcumque maioratum, ac cum antea professum retinere, quia nondum est effectus religiosus, nec incapax proprii retinendi; & sic, sicut nec alius bonus, nec iure in ea succedendi spoliatum, ita nec hoc iure. Atque ita docent Alberic. authent. ingressi. numero 31. & ibi Signorol. numero 34. C. de sacrosanct. Eccles. Gregor. Lopez l. 2. verb. siendo. tit. 15. part. 2. Matienzo lib. 5. recopila. tit. 7. l. 1. gloss. 1. numero 17. Molina Societatis IESV tomo 3. de iust. disp. 623. num. 1. Manuel quest. regular. tomo 2. quest. 78. art. 12. paulo post princip. Atque id est verum, quamuis in eo maioratu sit clausula excludens religiosis, quia nouitij nondum sunt religiosi, sed in via, vt sint. c. religio. de sentent. excommunic. l. 6. nec in his odiosis nomine religiosorum comprehenduntur, vt probauit supra.

3 Similiter succedat religiosi, qui in Societate IESV votis biennij ligati sunt, quicumque maioratus ille sit: quare per ea vota nullus maioratus deperditur. Quia per ea vota non redduntur incapaces cuiuscumque successionis in quæcumque bona, & dominij illorum. Et ita docet Molina Societatis IESV num. præcedenti allegatur. Quare vt certa, & firma esset maioratum successio, statutum est in quinta congregatione generali Societatis IESV, canone 4. ne deinceps habens maioratum admittatur in Societate in Hispania absque licentia Patris nostri Generalis, & iis donis sit præditus, vt post biennium nouitatus possit admitti ad solennem trium votorum professionem, & vel sic professus fiat omnino incapax, & tunc succedat sequens vocatus.

4 Sed potest esse dubium, an hi succedant quando est clausula in maioratu, excludens ab illius successione religiosis. Videtur enim pars affirmans, etiam in eo casu eos succedere, nec includi in ea exclusione, inde suaderi, quia mens institutorum similem clausulam apponentium est, ne monasterium in eum maioratum succedat, ac nomen familie sit quasi cõsopitum. At Societas IESV non succedit, sed ipsimet religiosi: ergo non censentur per eam clausulam exclusi. Item, quia non præsumitur intentio institutorum excludere suos descendentes, sed monasterium, quod quasi extraneum reputat. Sed, vt accepti à viro fide digno, qui Val. ioleti causidicus fuerat eo tempore, mota est ibi l. circa hoc, ac obtinuit pars contraria, vt tunc hi religiosi non succedant, sed censentur exclusi. Et meo iudicio id iure optimo sententia Senatus illius regij decem est, quod hi sint veri religiosi, & quamuis capaces succedendi, nec Societas succedat: at non succedunt, vt retineant, sed vt renuncient, & possunt renunciare in fauorem extranei, & sic familie nomen erit cõsopitum toto vite illius religiosi tempore. Quod damnum cauere voluit institutor maioratus excludens religiosis. Adde eum non conseruare dignitatem, & honorem familie, quamuis in se possit maioratum

retinere, quibus conseruandis ea clausula apponi solet, vt infra dicemus, cum debeat instar pauperis religiosi vitam transigere.

Similiter succedunt in maioratum qualemcumque Commendatarij equites, qui vxorem ducere possunt, quamuis adfit clausula excludens religiosis, quod ij non censentur religiosorum nomine in hac exclusione comprehendi, vt ipse qui familiam conseruat, & successionem possunt habere. Atque ita docent Molina lib. 1. de primog. c. 13. n. 98. & Molina Societatis IESV tom. 3. de iust. disp. 623. num. 5. Manuel quest. regular. tom. 2. q. 78. art. 12. statim in principio. Quid autem dicendum sit de Commendatariis Diui Ioannis, qui matrimonium inire nequeunt, dicemus infra.

Reliqui autem religiosi nequaquam succedunt, nec monasterium nomine illorum, quoties à primo maioratus institutore adiecta est clausula, ne in illum succedant monachi. Quod hæc conditio excludens monachos, aut clericos à successione, non eo tendit, vt ab hoc statu retrahat, sed vt familia conseruetur; & ideo conditio hæc tanquam fati congrua vni, ad quem maioratus solent institui, est iusta, & valet. Atque ita docent Ioan. Lup. rubr. de donat. inter vir. & vxor. §. 16. num. 14. Couarr. lib. 1. variat. cap. 19. num. 10. & 11. Marzar. in epistol. fideicommissor. quest. 31. fin. Molina lib. 2. de primog. c. 12. n. 54. Padilla l. cum acutissimis. n. 45. C. de fideicommissi. Meres late probans de maioratu, in 1. edit. 2. p. 93. a num. 1. vsque ad 5. Cabedo in decision. Senatus Lusitan. p. 1. decis. 133. n. 6. & 9. Spino specul. testam. gloss. 12. principali. num. 33. Gutier. quest. canonice. lib. 2. cap. 25. num. 6. Tapia authent. ingressi. verb. sua. cap. 16. num. 1. C. de sacrosanct. Eccles. Aluarad. de conuicturata mente defuncti. lib. 2. cap. 3. initio. n. 2. Camill. Borrell. conf. 17. num. 37. & 38. vol. 1. Phil. de officio face. d. tom. 2. lib. 6. p. 2. c. 21. Sfort. Odd. conf. 19. n. 24. vers. 2. respondeo. lib. 1. Flor. de Mena lib. 1. variat. q. 16. §. 2. n. 7. for. Mantie. de conuict. vlt. volum. lib. 8. tit. 12. n. 28. & 29. Caldas de nominat. emphy. q. 6. n. 14. & Gutier. lib. 1. quest. canonice. c. 32. n. 30. in 2. edit. Molina Societatis IESV tomo 1. de iust. disp. 207. col. penult. concl. 2. fin. & 3. tomo disp. 623. n. 3. Manuel quest. regular. tom. 2. quest. 78. art. 12. col. 4. vers. 5. certum est. Potest etiam institutor statuerè, vt eo ipso quod possessor maioratus efficiatur clericus, aut monachus, maioratus statim sequenti deferatur ob eandem rationem, vt bene tradunt Couarr. & Gutier. vtroque loco, Meres eadem q. 3. n. 4. fin. Quod quidem limitandum est, vt intelligatur in hoc Castelle regno de maioratu regia facultate instituto. Quippe parentes ex tergo bonorum primogenium influentes nequeant religiosis filios, aut filias moniales excludere, quia tenentur seruate ordinem præscriptum in l. regia 27. Tauri, que hodie est l. 1. tit. 6. lib. 5. noua recopila. quæ lex id non permittit. Et ita docent Molina lib. 2. de primogen. c. 12. num. 55. Angul. de melioration. l. 1. §. 1. gloss. 4. num. 9. Gutier. & Manuel proximè allegati. Sed intellige, non posse tunc excludere filios monachos, aut filias moniales, quando non supersunt alij descendentes. Nam iuxta illam legem sunt omnes descendentes prius vocandi; ad alios descendentes existentes, possunt prius illi vocari exclusi proximioribus monachis, aut monialibus. Quippe quicumque illorum possunt in eo tertio alius præferri, vt ibi habetur, & ita docet Angul. ibidem. Similiter possent apponi prædicta conditio, quando maioratus esset institutus ex solo quinto bonorum, quia de eo potest parer liberè disponere, atque aded potest grauamen quodcumque adicere.

¶ Quando maioratus non constat scriptura, sed sola immortali prescriptione, non præsumitur apposita huiusmodi clausula excludens religiosis, aut clericos. Quod immemorialis aliorum bonorum prescriptio tanquam vinculo maioratus subiectum, solum probat esse eum veri subiectum iuxta maioratus naturam, quæ daret munè eum succedendi modum, non autem ut maneret

kk extan